

causa iudicium et sententiam mutat; sicque opponitur *gnomini*, seu sententiæ, aut pronuntiato seu iudicato. *Negligentia* est vitium, quo quis omittit requisitam diligentiam, et sollicitudinem ad opportune exsequendum illud opus, quod consultatum et iudicatum est, esse faciendum: sicque etiam opponitur *gnomini*, seu pronuntiato, aut iudicato. « Nam et priusquam incipias consulto, et ubi consulueris, mature facto opus est, » inquit Sallustius, in *Bello Catilinario*, cap. 1.

(106. Vitia prudentiæ opposita per excessum quinque præsertim assignantur, nempe prudentia carnis, astutia et dolus, fraus et nimia sollicitudo temporalium. Sic doctores communiter.

(107. *Prudentia carnis* ea dicitur, qua quis studiosius excogitat media et sua facta dirigit ad naturæ corruptæ, seu carnis desideria complenda, de qua Apostolus *ad Romanos* VIII, dicit: *Prudentia carnis mors est*; et infra: *Sapientia carnis inimica est Deo*. Astutia seu *calliditas*, aut *versutia* est excogitatio mediiorum seu rationum perversarum, ad fallendum seu decipiendum proximum maxime conducentium, de qua Apostolus *II ad Corinthios* IV: *Non ambulantes in astutia*. *Dolus* est ipsius astutiæ executio, tum per verba, tum per facta, et definitur quod sit machinatio ad circumveniendum, decipiendum aut fallendum proximum adhibita. *Fraus* est executio astutiæ per facta, ut cum mensura est minor justo, vel cum moneta est adulterina, et huiusmodi, adeoque fraus est quid minus commune quam dolus. *Nimia sollicitudo temporalium* est nimia mentis occupatio in conquirendis et conservandis rebus temporalibus, proveniens ex immoderato habendi amore, et amittendi timore, quæ reprobatur *Matthæi* VII, *Lucæ XII et I ad Timotheum* VI.

(108. *Justitia* est constans et perpetua voluntas jus suum unicuique tribuendi. *Communis* cum Ulpiano in I. *Justitia*, ff. *De justitia et iure*. (109. Jus autem est id quod justum et æquum est, sive quod inter extrema vitiosa est medium.

(110. Partes subjectivæ, seu species justitiæ sunt duæ, scilicet justitia distributiva, et justitia commutativa. *Communis* ex Aristotele, v. *Ethic.*, cap. 3. (111. Quenam autem sit justitia distributiva et commutativa, *Vide* verb. *JUSTITIA*, n. 51 et 52, ubi etiam de differentia inter utramque.

(112. Utraque justitia æqualitatem seu proportionem quamdam servat, cum hac tamen advertentia, quod in justitia distributiva servatur *proportio geometrica*, et proportio geometrica servat *medium rationis*, seu *geometricum*; in justitia autem commutativa servatur *proportio arithmetica*, et hæc proportio arithmetica servat *medium rei*, seu *arithmeticum*. (113. Quodnam autem sit medium rei, seu arithmeticum, et quid sit medium rationis seu geometricum, vide *supra*, n. 94, et verb. *JUSTITIA*, n. 52, ubi de æquitate *arithmetica* et *geometrica*.

(114. Si quis *medium rationis* in justitia

distributiva, vel *medium rei* in justitia commutativa non servet, tunc jus ipsum lædit, et legem, qua jus illud constituitur, violat. Sic doctores communiter.

(115. Partes integrantes seu integrales justitiæ ex S. Thoma, 2-2, q. 79, art. 1, duæ sunt, nempe declinare a malo, et facere bonum, quoniam istæ ad perfectum justitiæ actum requiruntur: cum enim cæteræ virtutes homines in se, et propter se perficiant, iustitia autem sit ad alterum, ut ait idem S. Thom., 2-2, q. 58, art. 2, peculiari modo ad justitiam pertinet, ut illa, dum cujusque jus constituit, a malo declinet et faciat bonum.

(116. Partes potentiales justitiæ, quibus veluti facultatibus aut organis actus suos justitia exercet, octo enumerantur a S. Thom., 2-2, q. 80, art. 1, nempe religio, pietas, observantia, veritas, gratia, vindicta, liberalitas et amicitia, quibus additur affabilitas, et istæ fere omnes assignantur etiam a Cicerone, lib. II *De inventione*.

(117. *Religio* est virtus moralis inclinans ad debitum cultum Deo tanquam primo rerum principio in agnitionem supremæ ipsius potestatis et excellentiæ exhibendum. Et hic cultus exhibetur Deo, tum interius, devotione scilicet, *sacrificio*, *voto*, etc. *Pietas* est virtus, qua debitus honor, officium ac obsequium deferimus iis, qui post Deum sunt præcipui nostræ vitæ et educationis auctores, uti sunt parentes, et alii consanguinei, ac patria, quorum meritis paria referre non possumus. Sumitur etiam pietas apud Christianos pro *devotione*, id est pro fervore actus circa ea quæ sunt cultus divini. *Observantia* est virtus, qua debitum honorem, officium ac obsequium deferimus superioribus nostris ac majoribus ætate, sapientia ac dignitate; ad hanc reducitur *obediencia*, quæ quatenus est specialis virtus, ideo aliquid facit, quia præceptum est. *Veritas*, seu *veracitas*, est virtus moralis, qua nos proximis tales dictis et factis exhibemus, quales reipsa sumus, nihil enuntiando, aut aliter fingendo, quam sit, vel fuerit, vel futurum sit. *Gratia* et *gratitudo* est virtus quæ respicit debitum ex beneficio natum. Unde inclinatur ad beneficium beneficio compensandum, extenditque se ad omnes, a quibus aliquod beneficium accepimus, ut ad Deum, parentes superiores et homines privatos. *Vindicta* est virtus, per quam vim et contumeliam defendendo, aut ulciscendo propulsamus a nobis, et aliis, et per quam peccata punimus; quæ tamen non est licita, nisi iis qui aliis præsumunt ad justitiæ conservationem. *Liberalitas* est virtus, quæ circa pecunias dandas et accipiendas moderatam tuetur, et consequenter inclinatur ad eas elargiendas et condonandas secundum rectam rationem. *Amicitia* est virtus, qua aliqui mutuam apertamque inter se benevolentiam gerunt, seque invicem bonis afficiunt honestatis gratia, et non solum jucunditatis aut utilitatis causa. *Affabilitas* est virtus, qua quis in convictu, et vitæ con-

suetudine facilem, et gratum se, ut decet, exhibere studet.

(118. Vitia opposita virtuti justitiæ generalium sunt omnes *injustitiæ*, quibus violatur tum justitia distributiva, tum justitia commutativa, tam per excessum quam per defectum. Et quidem violatur justitia distributiva per *excessum*, cum princeps, v. g. seu superior tenet cuidam et modicæ virtutis viro plus gloriæ, vel honoris, aut mercedis tribuit, quam deceat; per *defectum* autem, si minus tribuat quam deceat virum eximiæ virtutis et meriti. Item violatur justitia commutativa per *excessum*, cum v. g. charius aliquid emitur et venditur, vel cum in mutuo præter sortem principalem aliquid datur aut accipitur; per *defectum* vero, si minus solvatur vel reddatur, quam emptum aut mutuo acceptum fuerit.

(119. Et ita pariformiter descendendo ad partes potentiales virtutis justitiæ, in specie opponuntur ipsis sua specifica vitia, nempe *religioni* irreligiositas et superstitio; *pietati* improbitas ac impietas; *observantiæ ac obedienciæ* in observantia ac inobediencia; *veritati* mendacium; *gratiæ*, seu *gratitudini* ingratitude; *vindictæ* nimia clementia, seu indiscreta lenitas; *liberalitati* avaritia et prodigalitas; *amicitiæ* inimicitia; *affabilitati* adulatione per excessum, et morositas seu asperitas per defectum.

(120. Fortitudo ex Aristotele, I. III *Ethic.*, cap. 9, est *mediocritas inter audaciam et timorem constituta*. Unde recte definitur, quod sit virtus moderatrix audaciæ et timoris in periculis, ubi et quando ratio præcipit adeundis, aut adversis rebus sustinendis. Ita in re communis.

(121. Ex qua definitione, ut vides, duo sunt actus præcipui *fortitudinis*, nempe *agredi*, seu pericula adire et *sustinere*, seu res quaslibet adversas constanter tolerare, cum id honestum ac conveniens ex recta ratione videtur. Unde fortitudo velut in duas secatur partes subjectivas, nempe in *magnanimitatem* et *patientiam*. *Magnanimitas* est virtus ad omnem arduum aggrediendum ex motivo propriæ honestatis inclinans. *Patientia* est virtus, quæ in adversis rebus ex præscripto rectæ rationis animi mororem temperat, ac mala præsentia æquamiter tolerat.

(122. Partes fortitudinis integrantes, quæ et potentiales quoque appellari possunt, sunt præsertim fiducia, magnificentia et perseverantia. *Fiducia*, seu *confidentia* est virtus, qua quis rationabiliter confidit posse se arduissima ac difficillima, ubi et quando deceat, aggredi seu tolerare. *Magnificentia* est virtus reddens hominem promptum ad faciendos magnos sumptus, ubi et quando recta ratio id expedire judicat, continetque in se pecuniæ contemptum, seu vilipensionem. *Perseverantia* seu *constantia*, est virtus, per quam non obstante temporis diurnitate, rerum ac circumstantiarum difficultate, ac molestia, homo persistit in bono opere, quandiu recta ratio dicitur.

(123. Vitia opposita fortitudini sunt temeritas seu audacia et timiditas, seu ignavia,

Temeritas quidem, seu *audacia* per excessum, *timiditas* autem seu *ignavia* per defectum.

(124. *Temeritas* seu *audacia* est vitium, quo per excessum fiducia quis aggreditur pericula quando, ubi et quomodo secundum rectam rationem non oportet; *timiditas*, seu *ignavia*, e contra est vitium, quo per defectum fiducia quis nihil audet ubi, quando et quomodo aggredi vel sustinere secundum rectam rationem oportet.

(125. Magnanimitati opponitur per excessum præsumptio, qua homo ex nimia virium confidentia aggreditur quod est supra vires, et *ambitio*, quæ consistit in nimia honoris appetentia: per defectum autem opponitur ei *pusillanimitas*, quæ consistit in fuga magnorum operum ex eo, quod quis nimis facile existimet se imparem esse talibus operibus. (126. Patientiæ opponitur per excessum *impatientia*, qua quis justum dolendi modum, quem patientia præscribit, excedit; per defectum autem ei opponitur *insensibilitas*, qua quis nec suis, nec proximorum malis tangitur.

(127. Fiduciæ, seu confidentiæ opponitur per excessum *audacia* seu *temeritas* ac *præsumptio*, et per defectum *timiditas* seu *ignavia*, ac *pusillanimitas*, uti dictum est *supra* n. 123 et 124 de vitiis oppositis ipsi fortitudini, et num. 125 de vitiis oppositis magnanimitati. (128. Magnificentiæ opponitur per excessum *profusio pecuniæ*, qua quis nimium auget sumptus, et longe majores facit expensas quam ratio dicitur. Et per defectum opponitur ei *parviscentia*, qua quis ex animi angustia magno cepto operi, v. g. magno palatio, magnificæ ecclesiæ non paræ, seu decentes exhibet sumptus. (129. Perseverantiæ, seu constantiæ, opponitur per excessum *pertinacia*, qua aliquis in opere incepto continuare vult, quando et ubi non oportet, vel plus quam oportet. Per defectum autem ei opponitur *mollities animi*, seu *inconstantia*, qua quis faciliter, et sine rationabili causa a bono incepto abstat.

(130. Temperantia est virtus refrenans, ac moderans inordinatos appetitus, et concupiscentias, ac voluptates corporis, quibus præsertim gustus et tactus afficitur circa esculenta, poculenta et venerea. Sic in re communis.

(131. Partes subjectivæ, seu species temperantiæ proprie acceptæ, sunt abstinentia, sobrietas, castitas et pudicitia. *Abstinentia* est virtus moderans cupiditates et delectationes esculentorum. *Sobrietas* est virtus moderans cupiditates poculeutorum, seu potus inebriare valentis. *Castitas* est virtus moderans inordinatum appetitum, usumque venereorum. Et hæc triplex est, nempe virginalis, vidualis et conjugalis. *Pudicitia* est virtus moderans appetitum circa aspectus, oscula, tactus, et similes actus immodicos ac venereos prævios ad actum principalem, et dicitur *pudicitia*, quatenus pudori, qui in usu illorum intervenire solet conformis existit; pudor enim est perturba-

tio animi de iis quæ aedecus inferre videntur.

(132. Partes potentiales temperantiæ sunt continentia, humilitas, mansuetudo, clementia, studiositas, modestia, eutrapelia seu urbanitas. *Continentia* est virtus, quæ continet hominem a rebus venereis, seu concupiscentiæ motibus ad intemperantiam provocantibus resistit. *Humilitas* est virtus, quæ hominem ad sui vilitatem ingenue profitendam inclinât ac temperat ejus inordinatum appetitum tendendi ad excelsa. *Mansuetudo* est virtus, quæ moderatur iram juxta rationis præscriptum. *Clementia* est virtus, quæ moderatur externam vindictam et punitionem, quantum ratio justitiæ patitur. *Studiositas* est virtus, quæ inordinatam sciendi cupiditatem temperat, ac intra legitimos fines cohibet. *Modestia* est virtus, quæ intra limites sui status ac conditionis debito modo se continet, tum in verbis, tum in factis, tum in vestibus, supellectilibus ac conviviis. *Eutrapelia*, seu *urbanitas* est virtus, quæ in recreationibus, ludis ac jocis honestis, atque ad animi et corporis refocillationem susceptis rectum rationis moderamen servat.

(133. Partes integrales, seu integrantes temperantiæ sunt *verecundia* et *honestas*. *Verecundia* sumpta prout ad præsens spectat, pro habitu seu actu virtuoso, est virtus a turpibus et inhonestis cupiditatibus retrahens. *Honestas* est virtus avertens operantem ab inhonestis voluptatibus, in escis, potibus et veneri inservientibus, et inclinans ad decorem in abstinentia eorum relucens: *honestum* enim et *decorum*, hoc loco idem significant. Quo sensu eleganter ait Tullius lib. I *De offic.*: « Et quod decet, honestum est, et quod honestum est, decet. »

(134. Vitia opposita temperantiæ sunt stupor et intemperantia. Stupor quidem per defectum; intemperantia autem per excessum. *Stupor*, seu *insensibilitas*, est vitium, quo delectationes corporeæ etiam ad naturæ conservationem divinitus ordinatæ contra rectam rationem prætermittuntur, seu est vitium, quo quis fugit honores et voluptates, ut nolit eis uti quando, vel ubi, vel quantum secundum rectam rationem oportet. *Intemperantia* est vitium, quo quis in appetendis honoribus et voluptatibus excedit omnino dictamen rectæ rationis.

(135. Sic pariformiter aliis temperantiæ partibus opponuntur sua specialia vitia per excessum, nempe abstinentiæ *gula* seu *crapula* et *comessatio*; sobrietati *gula* item et *ebrietas*; castitati *luxuria*; pudicitiam *impudicitia*; continentiam *incontinentia*; humilitati *superbio*; mansuetudini *iracundia*; clementiæ *crudelitas*; studiositati *curiositas*; modestiæ *immodestia*; eutrapeliæ, seu urbanitati *scurrilitas* seu *inurbanitas*; verecundiæ *inverecundia*; honestati *impudentia*. Vitia autem eis opposita per defectum proprie nomina non sunt sortita, ut patet de *mansuetudine*, contra quam peccatur secundum defectum per iræ vacuitatem non increpando, non castigando et vindicando

malum, ubi et sicut oportet; et de *humilitate*, contra quam secundum defectum peccatur per nimiam abjectionem sui, et sic de aliis.

NOTA ROMANI THEOLOGI

ad num. 55 et seqq.

Explorata res est, ita hominem oportere proximum diligere, ut ei velit bonum spirituale in ordine ad vitam æternam. Tum quia proximum sicut nosmetipsos diligere tenemur (*Matth.* xxii, 37), nos vero in ordine ad æternam beatitudinem diligere debemus; tum etiam, quia charitas virtus est; virtus autem propter operationem; ergo charitas erga proximum in actum exeat necesse est; actus vero charitatis est velle bonum proximo conforme ipsius naturæ, quæ diligitur; hujusmodi autem bonum vel beatitudo est, vel ad beatitudinem conducentis: tum demum, quia charitate imitari Deum et Christum tenemur, ut habetur *Joannis* xiv, 22: *Si sic Deus dilexit nos, et nos debemus alterutrum diligere*. Deus vero nos dilexit actu interiori et positivo ordinando nos ad beatitudinem, et media conferendo ad beatitudinem conducentia; nos ergo interno actu proximum diligere debemus, optando illi æternam beatitudinem, et media procurando, quæ ad hanc proximum dirigant atque perducant. Age vero: nomine proximi veniunt etiam inimici; ii enim creaturæ rationales sunt, et æternæ beatitudinis capaces; et ne viderentur ab hoc præcepto exclusi, Christus Dominus ait: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, orate pro persequentibus et calumniantibus vos* (*Matth.* v, 44): ergo in inimicos quoque charitatem exercere tenemur, et signa illa benevolentiam præbere, quæ ab inimicitia et peccato illos retrahant, et ad æternam felicitatem dirigere et conducere valeant. Hæc vero palam faciunt: 1° Negari inimicis non posse communia benevolentiam signa, si hæc negatio odium et inimicitiam foveat; nam tunc ruinæ spiritualis occasionem præ se fert; et non solum non exhibet media ad æternam beatitudinem conferentia, sed retrahit hominem ab hoc bono, et ad perditionem ducit. Itaque abstinere non possumus ab hac benevolentiam demonstratione, vel metu alicujus injuriæ vel timore alicujus boni temporarii jacturæ, ut est manifestum, sed prudentia utendum est, qua ita benevolentiam signa in inimicos exercere possumus, ut non solum hos ad injuriam et ad damna inferenda non moveant; sed potius ad extinguendum odium, obtinendum benevolentiam, et sinceram reconciliationem conferant. 2° In prælatis, in superioribus, in parentibus ac in viris gravi auctoritate pollentibus omissionem communium benevolentiam signorum, quæ correctionis et emendationis causa fiat, esse potius exercitium charitatis. Nam charitatem ostendimus in iis, quæ homines a vitiis retrahant et peccatis, et ad veram ad Deum conver-

sionem eisdem moveant et provocent. Hæc enim veluti *media habentur* ad æternam salutem conferentia; at in prælatis, etc., omissio significationis peculiaris benevolentiam in iis, qui errant ac peccaverunt, confert ad retrahendos homines a peccato commisso, et ad istius detestationem per veram conversionem eosdem provocat; si ergo prudenter id fiat, tantum abest, ut dici queat negatio signorum charitatis, quin potius eam charitatis demonstrationem secum fert, quam exercere homines per correctionem debent. 3° Omittentes communia benevolentiam signa correctionis causa, vel reprehendentes et objurgantes homines, qui vel in eos, vel in alios, peccaverint, curare omni studio debent, ut ostendant abstinere ab illis signis, vel objurgationem adhibere, quia bonum ac verum bonum peccantibus exoptant; hac enim unice via charitatem exercent. Atque hinc liquet non nisi improprie dici abstinere tunc homines a communibus charitatis signis: signa enim charitatis ea tantum sunt, quæ nos velle proximo significant bonum spirituale in ordine ad beatitudinem; et vel ipsa omissio communium signorum id aliquando demonstrat, etc. 4° Etsi abstinere licite possumus ab aspectu et consortio inimici, ne odii in nobis augmento, aut nova in inimicos ira peccandi occasionem præbeamus; tamen ne dolor ex ejus præsentia in nobis augeatur, aut ne honor in nobis minuatur, abstinere a significatione charitatis non debemus; tum quia urget præceptum benefaciendi et diligendi inimicos; tum etiam quia charitativus aspectus, vel charitate conjunctum consortium apta sunt media ad inimicitiam tollendam, et procurandum bonum spirituale inimicis. Inimici enim vitæ nostræ, vel famæ aut fortunæ, non sunt exasperandi injuriis, sed emolliendi benefactis, inquit R. P. Jacobus Besombes, *De charitate*, cap. 8, qui rem ita ostendit: *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum*, ait Apostolus ad *Rom.* xii, 21. Amor Dei et Christi erga nos debet esse regula amoris nostri erga inimicos, eisque ista debemus. 1° Qui est lacessitus, debet inimici conversionem et optare, et eam a Deo precibus postulare: optat enim Deus conversionem peccatoris: *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem impij, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat.* (*Ezech.* xxxiii, 11.) 2° Debet inimicum veniam petentem sponte, et benigne excipere, ut facit Christus: *Joan.* enim vi, 9, ait: *Eum, qui venit ad me, non ejiciam foras, et Matth.* xviii, 22, alloquens Petrum, et nos omnes, inquit: *Non dico tibi, ut parcas usque septies, sed usque septuagies septies.* 3° Debet per se vel per alium offerre inimico reconciliationem, si speret futurum, ut id ad ejus conversionem inserviat. Id enim præstat Deus erga peccatores, quos semper ad penitentiam hortatur, et quibus etiam pertinacissimis gratiam offert: *Ecce inquit, sto ad ostium, et pulso. Si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et cenabo cum illo,*

FERRAR. VII.

et ipse mecum: *Apoc.* iii, 20, et *Prov.* xviii, 26, *Præbe, fili mi, cor tuum mihi.* 4° Non potest negare reconciliationem inimico veniam petenti, nec communia amoris indicia, imo nec specialia, cum hinc nasceretur scandalum, vel obex poneretur, quo retardaretur conversio inimici. Atque hinc vide, num rite Ferraris asserat num. 58, non teneri Christianum hominem ne ad succurrendum quidem inimico in egestateposito, nec eundem obvium factum salutare? Vide etiam, num ob temporarium incommodum, vel damnum, aut ob metum jacturæ honoris mundani, omittendum sit exercitium charitatis in proximum inimicum, vel neganda eidem reconciliatio? Hæc sane cum regula charitatis erga ipsos quoque inimicos usurpanda, conciliari nullo modo possunt: vide demum, num grave aut gravius incommodum, quod offensionem superet, causa sufficiens sit ad negandam inimico offenso reconciliationem externam? Hæc enim necessaria est ad removendum scandalum, ad placandam offensi iram et ad odium ex injuria in læso homine excitatum extinguendum, atque ad necessariam animi reconciliationem. Neque verum est, non teneri hominem ad veniam petendam a læso si levis læsio fuerit. Nam si ob gravem læsionem, sub gravi culpa; sic ob levem, sub culpa veniali ad veniam petendam astringi is, qui læserit, debet.

RESPONSIO AUCTORIS.

Debuerat Romanus theologus videre et adnotare, quod ego n. 58 dico, per se loquendo, scilicet, specialia signa dilectionis *per se loquendo* non tenemur præstare inimicis ex præcepto charitatis, sed solum ex consilio. Item tenebatur adnotare, quæ ego n. 59, immediate sequenti subjungo, nempe; dicitur autem notanter *per se loquendo*, quia ob varias accidentarias circumstantias sæpius obligamur inimicis exhibere signa aliqua vel beneficia specialia charitatis, quæ ibi enumero, et signanter, « quando inimicus est in extrema vel gravi necessitate constitutus, tunc specialia beneficia charitatis sunt ei exhibenda, juxta exigentiam necessitatis: videat igitur prudens et impartialis lector sub dictis n. 55, 57, 58 et 59, n. 68 ad 71, inclusive ibi tradita a me, et, quæ par est, æquitate et justitia pronuntiet. Videatur ad rem S. Thomas, 2-2, q. 25, art. 8, ubi sic expresse tradit: « Dilectio inimicorum tripliciter considerari potest; uno quidem modo, ut diligantur inimici, in quantum sunt inimici, et hoc est perversum, et charitati repugnans, quia hoc est diligere malum alterius. Alio modo potest accipi dilectio inimicorum quantum ad naturam, scilicet in universali, et sic dilectio inimicorum est de necessitate salutis, ut scilicet aliquis diligens Deum et proximum, ab illa generalitate dilectionis proximi inimicos non excludat. Tertio modo potest considerari dilectio inimicorum in speciali, ut scilicet aliquis in speciali moveatur motu dilectionis ad inimicum, et istud non est

ie necessitate dilectionis, seu charitatis absolute, quia nec etiam moveri motu dilectionis in speciali ad quoslibet homines singulariter, est de necessitate charitatis, quia hoc esset impossibile. Est tamen de necessitate charitatis secundum præparationem animi, ut scilicet homo habeat animum paratum ad hoc, quod in singulari inimicum diligeret, si necessitas occurreret; sed quod absque articulo necessitatis homo etiam hoc impleat, ut diligit inimicum propter Deum, hoc pertinet ad perfectionem

VIS.

Hæc quidem ad rem notanda veniunt.

(1. Vis, seu violentia est impetus majoris rei, cui resisti non potest, ut definitur, in leg. *Vis autem*, 2, ff. *Quod metus causa*. Glossa, verb. *Causa in cap. Ad audientiam 4*, *De his quæ vi*; Glossa, verb. *Vim* in cap. 1, eodem in 6. Et explicatur, ut sit necessitas rei faciendæ, præter voluntatem nostram extorta, per text. in l. *Ait prætor 1*, ff. *Quod metus causa*; Raynaldus, lib. II, cap. 23, § 2, n. 1 et 2, cum pluribus ibi allegatis. (2. Vis in genere alia est publica, alia privata; l. *Hoc jure utimur*, ff. *De regul. jur.*; Ursaya, *Instit. crimin.* lib. II, tit. 7, n. 2; Raynald, *loc. cit.*, n. 6 et sequent. et alii passim. (3. Vis publica est, quæ fit cum armis; privata vero, quæ fit sine armis; § *Item lex Julia 8*, *Instit. De public. judic.*; Glossa 4, in cap. *Cum dilectus 2*, *De ordin. cognition.*; Antonius Matthæus, *De crimin.*, tit. *De vi publica et privat.*, cap. 1, n. 2; Raynald., l. c., n. 10; Ursaya, l. c., n. 3. (4. Vis publica variis modis committi solet. Primo, si quis domi suæ, sive in civitate, sive in villa, sive in agris, et vineis arma coegerit ad aliquod facinus perpetrandum; l. *Lex Julia 1*, ff. *ad Leg. Jul.*, *De vi publica*. (5. Secundo, si quis turbæ seditionisque faciendæ consilium inierit, et servos aut liberos homines in armis habuerit, armatosque congregaverit, textu expresso in leg. *In eadem causa 3*, ff. *Eadem*, et in leg. *Omnibus 10*, cod. *ad Leg. Jul.*, *De vi public.* (6. Tertio, si quis publice ad nocendum cum armis ambulaverit; leg. *In eadem causa 3*, § 1, ff. eod. (7. Quarto, si quis armatis hominibus, possessorem de domo, vel de agro, vel de navi dejecerit, concusserit, vel expugnaverit; cit. l. *In eadem causa*, § 6. (8. Quinto, si quis cætu, concursu, turba, seditione incendium fecerit; seu in incendio causa rapiendi interfuerit, vel dominum prohibuerit res suas ab incendio servare; citat. leg. *In eadem causa*, § 5, et leg. *Qui cætu 5*, ff. eod. (9. Sexto, si quis ædes vel villas alienas convocatione aut seditione expugnaverit, effregerit, et bona ibidem existentia rapuerit, citat. leg. *In eadem causa*, § 2, et leg. *His qui ædes 11*, ff. eod. (10. Septimo, si quis dolo malo fecerit, quominus judicia tuto exercentur, aut iudices, ut oportet, judi-

charitatis. Et ibidem articulo 9 inter alia subdit: « Alia vere sunt beneficia, vel dilectionis signa inimicis exhibere non est de necessitate præcepti, nisi secundum præparationem animi, ut scilicet subveniatur eis in articulo necessitatis, secundum illud *Prov. xxv: Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, da illi potum.* » * Vide si libet alia S. doctoris testimonia de inimicorum dilectione apud Bancel in *Morali D. Thomæ alphabetico ordine congesta*, verb. *Inimici*.

cent, textu expresso in leg. *Qui dolo malo 10*, ff. eod. (11. Octavo, si quis convocatis hominibus vim fecerit, ut quis verberetur et pulsetur, quamvis non occidatur, textu expresso in citat. l. *Qui dolo malo*, § 1. (12. Nono, si quis violenter honestam mulierem, sive virginem, sive nuptam, sive viduam invitam rapuerit, asportaverit et adduxerit de loco ad locum causa libidinis, et animo eam carnaliter cognoscendi, l. *Qui cætu 5*, § 2, ff. eodem, et leg. *Raptores 5*, cod. *De raptu virginum, seu viduarum*. (13. Decimo, si quis puerum, vel feminam, vel quemquam per vim stupraverit, textu expresso in cit. l. *In ead. causa*, § 4. (14. Undecimo, si quis per vim aliquem prohibuerit, vel econtra ad testandum aliquem invitum compulerit; si enim id cum armis fecerit, præter crimen falsi, tenebitur etiam ex leg. *Julia*, *De vi publica*; si vero sine armis, tenebitur ex leg. *Julia*, *De vi privata*, ut tradunt Farinac., quæst. 151, n. 5; Ursaya, *loco cit.*, n. 130, et alii passim. (15. Duodecimo, si quis vineas et agros depopulaverit, sive de die, sive de nocte; is enim propter criminis atrocitatem, nec etiam gaudet immunitate ecclesiastica, cap. *Inter alia 6*, *De immun. Eccles.*, et sanxerunt Gregor. XIV, constitut. incipient. *Cum alias*, et Benedictus XIII, constitut. incipient. *Ex quo*. Sic Antonius Matthæus, *De crimin.*, tit. *De vi public. et privat.*; Brugiot., *Instit. crimin.*, lib. III, tit. 6 per tot.; Ursaya, l. c., l. II, tit. 7, per tot., et alii passim. (16. Vis privata etiam ipsa variis modis committi potest, et fere in omnibus illis casibus, in quibus publica committi solet, si sine armis committatur, ut tradunt in suis *Instit. crimin.* Brugiot., l. III, tit. 6; Zuff., lib. II, tit. 19; Ursaya, lib. II, tit. 7, a n. 134. (17. Si quis igitur convocatis hominibus, absque tamen armis, vim fecerit, ut quis verberetur aut pulsetur, quamvis non occidatur, adhuc erit reus criminis vis privatæ, textu expresso in leg. *Itac lege 2*, ff. *ad leg. Jul.*, *De vi privata*. (18. Item si quis cætum vel concursum fecerit quominus aliquis in jus producatur, textu expresso in l. *Legis Julia 4*, ff. eod. (19. Item si quis aliquem de agro, vinea aut villa sua, congregatis hominibus sine armis, dejecerit, textu expresso in leg. *Si quis aliquem 5*, ff.

eod. (20. Item si creditor sine auctoritate iudicis absque armis, bona debitoris usurpaverit, textu expresso in leg. *Creditorum 7*, et in leg. *Si creditor 8*, ff. eod. (21. Item si quis ex naufragio, dolo malo sine armis, aliquid rapuerit, textu expresso in l. *De vi privata 1*, § 1, ff. eod. (22. Item si qui improbe coeant in alienam litem, ut quidquid ex condemnatione in rem ipsius reductum fuerit, inter eos communicaretur, textu expresso in l. *Ex senatusconsulto 6*, ff. eod. (23. Vis in specie est quintuplex. Prima *expulsiva*, cum quis a re immobili expellitur; secunda *ablativa*, cum res mobilis cuiusdam aufertur. Tertia *compulsiva*, cum quis rem suam alienare cogitur. Quarta *turbativa*, cum quis in possessione turbatur. Quinta *inquietativa*, cum duo vicissim præterdunt possidere, et alterum alter inquietat. Primæ duæ præscriptionem seu usucapionem secum non ferunt; trium autem posteriorum nulla obstat præscriptioni; § *Furtivæ*, in *Addit. margin. Institut. De usucapion.*; Raynald., l. c. n. 11, testans de communi; Hieronymus Thomas in tract. *De vi impulsiva*, c. 1, § 1, et alii passim. (24. Vis expulsiva parit interdictum *Unde vi* contra expellentem; leg. *Sequitur 4*, § *Si tu vi*, et ibi Glossa, verb. *Locum*, ff. *De usucapion.*, et Glossa 2, in cap. *Ad audientiam 4*, *De his quæ vi*. Hinc vi expulsus de possessione cum habeat interdictum *Unde vi*, perinde habetur ac si possideret quoad rem, et damna, et fructus, leg. *Si qui vi 17*, ff. *De usucapion.*, et ibi Glossa 1. (25. Vis ablativa inducit actionem *vi bonorum raptorum*, l. *Prætor ait 2*, ff. *Vi bonorum raptorum*, Glossa in cap. *Ad audientiam 4*, verb. *Causa*, *De his quæ vi metusve causa fiunt*. (26. Vis compulsiva inducit actionem *Quod metus causa*. Glossa 2, in d. c. *ad audientiam*. Vis enim compulsiva, et metus idem sunt, Glossa 1, in l. *Nihil consensus 116*, ff. *De regul. juris*. (27. Vis turbativa inducit interdictum *Uti possidetis* pro immobilibus; et *Unde vi*, ac *Utrubi* pro mobilibus, cum duo se possidere contendunt: Glossa 2, in cit. cap. *Ad audientiam*, et Glossa final. in leg. *Continet 3*, ff. *Quod metus causa*. (28. Vis inquietativa inducit interdictum *Quod vi, aut clam*, cit. Glossa 2, in d. c. *Ad audientiam*, et cit. Glossa fin. in dict. l. *Continet*. (29. Vis publica regulariter pœna deportationis punitur textu expresso in § *Item lex Julia*, *Instit. De public. judicis*. Et vis privata punitur pœna publicationis tertie partis bonorum, textu expresso etiam in dict. § *Item lex Julia*. Pro varietate autem casuum, in quibus committitur vis publica, varietate etiam sunt in utroque jure statuta pœnæ, de quibus in verb. *POENA*, a n. 213 ad 216. Vide *ibi*. (30. Vim vi repellere licet statim, et sine intervallo, leg. *Ut vim 3*, et ibi Glossa 2, ff. *De just. et jur.*, leg. *Sed et partus 12*, § 1, ff. *Quod metus causa*, leg. *Prætor ait 1*, § *Vim*

1, ff. *De vi et vi armata*, cap. ult. 12, *De restitut. spoliator. cap. Dilecto 5*, *De sentent. excommunic. in 6*, cum similibus; vim enim vi repellere omnes leges, omniaque jura permittunt, leg. *Scientiam 45*, § *Qui cum aliter*, ff. *Ad leg. Aquil.*, cap. *Perpendimus 23*, et ibi Glossa 1. *De sentent. excommunic.*, can. *Jus naturale 7*, et ibi Glossa 1, dist. 1, can. *Summa 7*, et ibi Glossa 1, caus. 23, q. 1, cap. *Dilecto 5*, *De sentent. excommunicat.*, in 6.

(31. Debet tamen vis, seu propulsatio fieri incontinenti, statim, ac sine intervallo, et cum moderamine inculpatae tutelæ, non ad vindictam, sed ad defensionem; leg. *Scientiam 45*, § *Qui cum aliter*, ff. *Ad leg. Aquil.* l. 1, c. *Unde vi*, cap. *Interfecisti 2*, et cap. *Perfodiens 3*, *De homicidio cum similibus*. Unde si quis percussit aliquem, et recedat, non potest percussus licite insequi percussorem, quia tunc vellet injuriam ulcisci et non repellere eam, essetque potius vindicta, quam defensio, Glossa, verb. *Secularibus*, et Glossa final. in cit. cap. *Si perfodiens 3*, *De homicid. et commun. doctor.*

(32. Vim vi repellere licet etiam contra clericum cum moderamine inculpatae tutelæ; cap. *Olim 12*, *De restitut. spoliator.*, et ibi, Glossa final., cap. *Perpendimus 23*, *De sentent. excomm.*, cum similibus.

(33. Vis et metus differunt inter se, quia metus refertur ad animum, et vis refertur ad corpus. Glossa in leg. *Si vi vel metu 3*, verb. *Si vi*, c. *De his quæ vi metusve causa fiunt*; Rota recent. p. 1, decis. 643, n. 25. Vis tamen includit in se metum; unde quod vi fit, metu quoque fieri videtur. Gl. verb. *Causa in c. Ad audientiam 4*, *De his quæ vi metusve causa fiunt*; Burat., dec. 86, n. 28 et seq.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(34. De vi tres potissimum leges latae fuere, una *Plautia* et duæ *Julia*, *Cæsaris altera*, altera *Augusti*. Confer *Signon. De judic.*, lib. II, cap. ult.

(35. Duo leges *Julia* fuerunt summa capita, alterum de vi publica, alterum de vi privata. Definivit Justinianus vim publicam, quæ fit cum armis; privatam, quæ fit sine armis; § *Recuperandæ*, *Instit. De interdict.*

(36. At licet hæc definitiones ut plurimum procedant, non tamen semper, inspecta præsertim vi publica. Omnis utique vis armata publica est, quippe quia et sine armis res publica, publicave utilitas ita lædi queat, ut inde legis *Julia* de vi publica accusatio nascatur; consule Ant. Matthæum, *De crimin.*, lib. XLVIII, tit. 4, cap. 1, n. 2 et seq.

(37. Appellatione vero armorum hic veniunt non solum scuta, et gladii, et galeæ, sed et fustes, et lapides, et in genere quæcunque, quibus singuli homines nocere queunt. L. 9, l. 11, § 1, ff. *Ad leg. Jul. De vi public.*, § *Recuperandæ*, *Instit. De interdict.*

(38. Armata dicitur vis, si armati quidem venerint ad deiciendum de possessione, sed armis ad deiciendum usi non sint, eo quod